



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Corpus Juris Canonici**

**Gregor <XIII., Papst>**

**Coloniae Munatianæ, 1665**

X. De Homicidio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

*Qua pena sit stuprator mulierem honeste viventem, & virginem defloranti. h. d.*

Quod si quis stuprum admiserit, multum intererit, utrum cum muliere honeste vivente rem habuerit, an virginem defloraverit. Primo enim casu stuprator poenitentiae subditus, pecuniaria etiam poena coercendus erit: posteriore vero a dotata virgine eandem patre consentiente habebit uxorem: si vero pater virginis dare noluerit, aut stuprator eam uxorem habere legibus impediat, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt. Quod si consentiente patre stuprator ipse corrupta virginem in uxorem ducere renuerit, corporaliter castigatus excommunicatusque, in monasterium ad agendam poenitentiam retrudatur, de quo nulla erit ei egrediendi sine iudicis permissione licentia.

*Raptorum poena excommunicatio, depositio, & servitus, cum facultate tamen seipsum redimendi. h. d.*

Major b legum severitas raptorem cohibet: nam praeter secularium sanctionum poenas, anathemate cum suis adiutoribus ferit, aut si clerici sint, propriis ordinibus & honoris amissionem substinere debent.

*In propria sponsa non cadit raptus, & raptus per consensum purgatur. h. d.*

Raptus e autem tunc committi dicitur, cum illa, de rapto nuptis nihil actum fuerit antea, abducitur. Unde qui libi desponsatam, vel parentibus reclamantibus, abducat, in crimen raptus, & in poenas minime incidit. Raptus quoque puella legitime cum raptoe matrimonio contrahet, si prior dissensio in consensum transeat. Raptor enim & rapta, nomina futiorum, non personarum: vitia autem cum purgata fuerint, eorum etiam nomina abolentur.

*Raptus Mensalis purgari non potest. h. d.*

Ed haec de illis intelligenda sunt, qui mulierum laicorum consensum habuerunt: nam si quis Deo dicatas virgines a vel rapuerit, vel volentes matrimonio sibi foedere tentaverit, tanquam sacrilegium admittens, pro tam nefandi criminis atrocitate plectendus erit, nulla e procul voluntatis sacrarum virginum habitatione.

*Pena simplicis fornicationi est arretaria. h. d.*

Demum si quis cum muliere soluta & impudica simpliciter fornicatus fuerit, tunc poenitentiae modus, quam etiam alia poena in iudicis potissimum reponetur arbitrio, qui ex qualitatibus variis minorem, vel maiorem poenam statuet.

DE CRIMINE FALSI. TITVLVS IX.

*Qui per se, vel per alios literas. Papa falsant, excommunicati sunt sui fautores: & Clerici officii & beneficii privantur, & ad alia traduntur. Curia seculari. h. d.*

Diversus eos quoque, qui falsi crimen commiserunt, varie statutum reperitur: illos tamen ceteris acris Canones insectantur, qui literis Apostolicis falsis usi fuerint. Tali enim literarum falsitas s cum fautoribus, & defensoribus suis, anathemate feruntur: & si Clerici fuerint, omnibus officiis & beneficiis Ecclesiasticis perpetuo privabuntur. ita, ut qui per se falsitatis vitium exercuerint, postquam per Ecclesiasticorum iudicem degadati fuerint, seculari potestati tradendi sint, secundum legitimas constitutiones puniendi: per quam & laici, qui fuerint de falsitate convicti, legitime punientur.

*Qui falsi literas utitur, si Clericus est, officii & beneficii privatur: si laicus, excommunicatur. h. d.*

Mitius cum illis agitur, qui licet his utantur, tamen ipsi non falsificaverunt: si enim Clerici fuerint,

a C. i. de seq. extr. cod. tit. b C. i. de q. 2. c. pen. & s. extr. de rap. d. Can. 2. de q. 2. cum seq. e gl. i. d. can. 2. f Ca. ad fals. extr. cod. tit.

officiis & beneficiis Ecclesiasticis spoliandi erunt: si laicandiu excommunicationi subijcientur, quamdiu competerenter satisfecerint. In utrisque tamen malitia gravius, quam negligentia punietur, quod & de his, qui falsas literas impetrant, observabitur.

DE HOMICIDIO.

TITVLVS X.

*Assassinium, sicuti omnium homicidiorum est atrocissimum, ita etiam atrocissime punitur. h. d.*

Quoniam non ad opera tantum sit respiciendum, sed tempus, causa, voluntas, personarum differentia, & omnia quae operibus accidunt, sint per vestiganda, sequitur, ut non sit omnium homicidiorum eadem conditio. Cunctorum vero illud atrocissimum a videtur, quod Assassinium vulgo nuncupant. Unde non solum assassini ipsi, sed etiam seceptatores, occultatores, consultatores & defensores eorum, & qui per eosdem quemquam interfecit, aut mandaverit, dignitatibus, honoribus, officiis, beneficiis, omnibusque bonis nudatus excommunicationis & depositionis incurret ipso iure sententiam, & tanquam Christianae religionis hostis a toto Christiano populo perpetuo diffidatus erit.

*Interficiens per industriam simile est Assassinio. h. d.*

Non b ab similibus tenet poena, qui licet non per assassinium, per insidias tamen & industriam hominem interfecerit.

*Interficiens latronem non ex necessitate, punitur: secus, si ex necessitate. h. d.*

Quod si e quis latronem vel furem peremerit, videamus, an sit puniendus: & si quidem furem absque occasione comprehendere potuit, certa adversus eum statuta poenitentia reperitur: quod si non potuit, nulla occisori erit ex necessitate injungenda poena.

*Non punitur homicidium fortuitum, si nulla culpa casum processit. h. d.*

Idem etiam obtinebit, si casu perpetratum fuerit homicidium, ut puta, si quis a necessario insitens operi, arborem incidit, & aliquis subitus transiens opprimatur: nam si neque voluntate, nec ulla incidentis culpa factum fuerit, ut pertransiens opprimeretur, arborem incidens homicidii poenis obnoxius non erit.

*Poenitentia certorum annorum est injungenda parentibus opprimentibus filios. h. d.*

Alia ratio est eorum, qui proprios filios oppressisse reperuntur. Cum enim hos graviter deliquisse non sit dubium, certorum annorum erit illis injungenda poenitentia.

*Filius a patre, vel ab alio, patre sciente, expositus, liberatur a patris potestate: & expositum suscipiens nullum in eo habet jus. h. d.*

Quod si e filius a patre, vel ab alio, patre sciente fuerit expositus, aut eidem alimenta denegata fuerint, hoc ipso a potestate patris liberabitur. Nec tamen propterea, qui expositos susceperit, aliquid in eius ius vindicare poterit.

*Impediens conceptionem, vel abortum procurans, punitur ut homicida: secus si id casu fieri contingat. h. d.*

Is quoque, qui vel causa explenda libidinis, vel odii meditatione, viro aut mulieri aliquid fecerit, vel potandum dederit, quod minus possit generare, vel concipere, vel nasci soboles, ut homicida puniendus erit. Quamquam alias, si conceptus nondum vivificatus fuerit, nec ut abigeretur, quicquam dolo malo fecerit, qui abortivum s occasionem tradidit, puniendus non erit.

a Ca. i. cod. tit. in 6. b C. i. extr. cod. tit. c C. 2. extr. cod. tit. d Can. sapi. contigit. 30. dist. e C. uni. extr. de insan. lang. & expositis. f C. ficus ex literarum extr. cod.

